



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Decisio CXIII. De Ecclesia successivè diruta, & de motione Altaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



# TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel  
Altaris.

## DECISIO CXIII.


De Ecclesia successivè diruta, & de  
motione Altaris.

### *SPECIES FACTI.*

**Q**uidam Parochus, vir  
magni zeli, & dudum  
mihi familiaris, studiò  
augendi Divini & San-  
ctorum cultus Eccle-  
siam suam amplificare & magnifi-  
centius edificare aggressus successi-  
vè parietes dirui fecit, sed ita, ut  
simul & semel majorem partem,  
cum omni interiori crusta etiam  
partis adhuc stantis, seu conscrib-  
seu ignarò Parochò, Architectus

& fabri murarij destruxerint. Dein Altare, quod prius erat nimis humile ac depressum, præcepit elevari pro majori sacrificantium, præsertim longioris staturæ, commoditate. Idcirco murum, cui per exitum incumbebat grande Saxum, insertam habens mensulam lapideam, super qua sacrificiabatur, curavit altiorem fieri, & remotum

interea saxum illud eidem rursus superstrui, utens interim altari portatili. His peractis dubitare coepit, & à me petijt, ut decidatur



## QUÆSTIO.

An hæc Ecclesia, uti & Altare, fuerint exsecrata, & de novo consecrari debeant?

Virorum optimus existimabat quidem, Altare nova opus habuisse consecratione, non vero Ecclesiam. Ratione Altaris quidem propter *can. 19. d. 1. de consecr. c. 3. & 5. h. t.* ubi habetur, quod si altare fixum, quale erat istud, fuerit motum & à sua basi separatum, denuo consecrari debeat. *Paxford. vol. 1. l. 5. tit. 10. Matthæucc. cap. 6. v. 7. n. 21. §. Altare, & seq.* ergo altare istud, cum à basi sua amotum fuerit, scilicet à substrato muro, nova indiguit consecratione. Ecclesiam vero ea non indiguiffe

volebat evincere ex *d. c. 3.* ubi in fine sic habetur: *nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo consecrari; ergo, sicut juxta hunc textum consecrari censetur oleum, quod admiscetur oleo consecrato, ita etiam muri & structura, quæ accedit structuræ consecratæ, censeri debet consecrari per ipsam accessionem.* Et hinc glossa & Hostiens. *in c. 4. h. t. Barb. in c. 6. cod. Zoes. h. n. 16. Matthæucc. c. 7. cit. n. 7. §. quatenus, docent, Ecclesiam, quando ejus parietes successivè destruantur, & parti antiquæ annectuntur*

tur, non execrari, sed partes adie-  
ctas trahere consecrationem à par-  
tibus non destructis; moraliter enim  
manet eadem Ecclesia; sicut  
moraliter manet eadem legio,  
populus, grex &c. licet successive  
primis decedentibus succedant alij  
homines, aut animalia.

Sed ego, postquam oculari-  
ter inspexi omnia, in utroque pun-  
cto contrarium sensi, & Ecclesiam  
denuo consecrandam esse, non ve-  
rò Altare. Quod spectat ad *Eccle-  
siam*, notavi, quòd pars illius, quam  
vocamus Chorum, tota, & insuper  
integram reliqui Ecclesie corporis  
latus, simul & semel fuerint diru-  
ta, imò etiam ex altero latere cru-  
sta interior omnis abrasa; atqui  
talicasu opus est nova consecratio-  
ne, ut tenent Auctores communi-  
ter ex eo capite, quòd pars ma-  
jor trahat minorem, & dignior mi-  
nus dignam. *c. un. h. t. in 6.* & quòd  
consecratio censeatur moraliter in-  
habere interiori murorum crusta,  
ubi solet fieri inunctio, in qua pe-  
culiariter consistit consecratio.  
Quod verò ad *Altare* attinet, ani-  
madverti, quòd mensa lapidea &  
principalis, super quo Sacrificium  
offertur, fuerit infixa grandi cuidam  
lapidi & crasso, per totam substru-  
cti muri amplitudinem & latitudinem  
extenso, & ab hoc lapide tanquam  
basi sua nunquam dimota: sed,  
quando altare fixum, quòd est illa

lapidea mensa, super qua sacrificatur,  
à sua basi & structura, cui est infixum,  
non removetur, sed firmiter manet ei  
infixum, censeatur non execrari, con-  
sequenter nova consecratione non  
indigere, argumentò à contra-  
rio ductò ex *cir. can. 19. c. 3. c. 6.*  
ergo.

Ad argumenta Parochi sic re-  
spondi. Ad 1. circa *altare*, negando,  
illud fuisse motum & à sua basi sepa-  
ratum; basis enim, cui mensa la-  
pidea firmiter erat infixa, non erat  
murus suppositus, sed lapis ille gran-  
dis per totum muri suppositi spa-  
tium extensus, à quo mensa lapidea  
nunquam fuit amota, sed firmiter  
semper inhaesit. Illi textus non lo-  
quuntur de mensione & separatione  
locali, per quam altare aliùs attol-  
litur, vel etiam ex uno Ecclesie lo-  
co in alium transfertur, sed de mo-  
tione & separatione ab immédia-  
ta basi & structura. Barbosa in *l.*  
*1. h. t. n. 2.* Ad 2. circa *Ecclesiam*, id  
quidem procederet, nisi major  
pars illius simul & semel fuisset di-  
ruta, & interior crusta partis maiore  
adhuc stantis non abrasa, de quo ca-  
su loquitur glossa & DD. allegati;  
sed in hoc casu non verfabamur,  
quia ipse Parochus fatebatur, ma-  
jorem Ecclesie partem, unà cum  
crusta interiori partis adhuc stantis,  
fuisse simul & semel destructam. Et  
hinc ijdem DD. oleum, quòd in  
majori quantitate affunditur conse-  
crandum non est.

erato, consecrari, vel potius benedicti, non concedunt.

Dices cum Parocho, in hac Ecclesia innovata, & successivè restaurata, sæpius jam fuisse celebratas missas: sed per celebrationem Missæ consecrari censetur Ecclesia (uti & Altare) *can. 24. d. 1. de consecrat.* ergo Ecclesia jã est iterum consecrata, nec opus habet nova consecratione. *q. dist. Min.* consecrari censetur substantialiter. *transcat Min.* propter

*can. 24. cit. ritualiter. N. Min.* Potest autem & solet Ecclesia, prius benedicta, & per celebrationem Missæ substantialiter consecrata de novo ritualiter consecrari, ut manifestè patet ex praxi. Verani

*b. t. §. 4. n. 26.*



## TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.

### DECISIO CXIV.

**I**n celebri quadam urbe non ita pridem mortua est sine prole uxor cujusdam civis, femina magnæ pietatis & devotionis. In ultimis tabulis in subsidium animæ suæ legavit & designavit 100. Im-

(L. P. Fichler Decis. T. 2.)

periales seu 150. florenos Rhenanos pro 300. Missis. Maritus, quem in Testamento nominavit executorem, intelligens, extra hanc urbem, in qua vi receptæ ac diurnæ consuetudinis pro stipendio unius Mis-

L. P. Fichler Decis. T. 2.